



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annvæ Litteræ Pervanæ Provinciæ Societatis Iesu Anni 1606.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69662)

ANNVÆ LITTERÆ
PERVANÆ PROVIN-
CIÆ SOCIETATIS IE-
su Anni 1606



Atet hæc Prouincia Peruana simul cum duabus Viceprouincijs à nouo regno (vt aiunt) Granatensi, vsque ad Chilense, & Paraguaiense leucis amplius mille & ducentis. In Limenfi Collegio nonaginta nouem habitant, Sacerdotes triginta, ex quibus tres sacram Theologiam explicant; vnus Philosophiam, Latinitatem & Rhetoricam duo, Scholastici quinque sunt & triginta, tres & viginti Theologi, philosophi septem, quinque Rhetorici, quorum vnus pueris explicat Grammaticæ rudimenta. Coadiutores triginta quatuor. In domo probationis nouem & quadraginta versantur, Sacerdotes quatuordecim, è quibus vnus Nouitius, decem post absoluta studia tertiam agunt probationem Tres alij veterani: è fratribus quinque sunt Coadiutores, votis emissis duo tertium etiam agunt probationis annum. Nouitij Scholastici vnus supra viginti, Coadiutores septem. In Martiniano Collegio nouem, Sacerdotes duo, quinque Scholastici, duo Coadiutores. In D. Jacobi sede, duo Sacerdotes, cum totidem Coadiutoribus. In Cusquensi Collegio tres & viginti, Sacerdotes decem, Scholastici tres, duo Humanitatis, & Grammaticæ Præceptores, Coadiutores reliqui. Collegium Potosinum alit vnum & viginti, vndecim Sacerdotes,

cerdotes, quorum vnus Latinæ linguæ docendæ
 operam nauat, & nouem Coadiutores. Arequi-
 pense duodecim, Sacerdotes sex, totidem vno mi-
 nus Coadiutores. Pacense Collegium quatuor sa-
 cerdotes, scholasticum vnum Latinitatis præcep-
 torem, & sex Coadiutores. In Chuquisaquensi vi-
 ginti manent, octo Sacerdotes, quorum vnus Ay-
 maranam Indorum linguam, alter è scholasticis
 Latinam proficitur, septem Coadiutores. Decem
 & septem incolunt Chilense Collegium, Sacerdo-
 tes septem, vnus præceptor est Philosophiæ, Hu-
 manitatis & Grammaticæ magistri scholastici duo,
 quatuor Coadiutores. Nouem sunt in Huamangen-
 si: Sacerdotes quinque, vnus Grammaticæ magi-
 ster, quatuor Coadiutores. In Iulienfi sede decem
 consistunt, sacerdotes septem, Coadiutores tres.
 In expeditione Iucumana & Paraguaiensi septem
 cum vno Coadiutore sacerdotes discurrunt. A
 sanctæ Crucis statione quinque sacerdotes & Adiu-
 tores duo, huc illuc dispartiti peruagantur. In Col-
 legio Quitensi primo, & Viceprouincia noui Regni
 Granatensis viginti quinque numerati, terdecim
 Sacerdotes, è quibus duo casus conscientiæ, alter
 Philosophiam docet, Tyrones adhuc Societatis reli-
 qui duo, Scholastici quinque, Theologus vnus, duo
 Metaphysici, totidem Grammaticæ ac Rhetorice
 professores, Coadiutores quinque, tres in tyroci-
 nio versantur. D. Ludouici Seminario Quitensi
 vnus Sacerdos præest, cui duo Adiuutores adiuncti.
 In Panamanfi mansione sex habitant Sacerdotes,
 quorum vnus tradit Grammaticam iuuentuti, Fra-
 tres Coadiutores septem, quinque iam votis emif-

sis, quinque nondum exacto Tyrocinio. In Sanctæ Fidei sede decem & octo, Sacerdotes duodecim, & quibus Latinæ linguæ præceptores duo, Coadiutores sex. In Statione Carthaginensi decem commorantur, sex Sacerdotes, Magister vnus Grammaticæ, Coadiutores tres, vnus ad Tyrocinium admissus. Bini Sacerdotes, binique Fratres hoc anno sunt ad cœleste (vt speramus) regnum translatis: quorum loco, octo & viginti se Societati spreto seculo deuouerunt: è quibus Sacerdotes tres, Scholastici quatuordecim, vnde in Coadiutores.

C O L L E G I V M L I M E N S E.

Collegium hoc (cum domus professa desit) totius est Peruanæ Prouinciæ caput, nec non maximum, & vnicum Seminarium, in quo tum virtutibus, tum doctrinis, penè omnes nostri instituantur. Quarum rerum hoc anno perillustre testimonium reddiderunt illius incolæ, præsentibus triginta & octo nostræ Societatis superioribus, & professis, qui huc ad Patris Procuratoris designationem ex locis disiunctissimis conuenere. Quibus omnibus admirationi maximè fuit nostrorum, tum in litteris & virtutibus magnus processus, tum ciuium ad nos confluentium, vt suæ salutis consulerent, incredibilis multitudo. Neque minus ipsi toto congregationis tempore proximis profuerunt. Crebræ enim conciones habitæ, & Confessiones plurimæ exceptæ, quibus percepti fructus vberissimi. Hoc anno domesticis laxatis angustijs, reddita commodior habitatio: non pauca enim cubacula

bicula ædificata, quibus adiunctæ porticus quadratis, ex latere constructis columnis, atque arcibus ad perpetuitatem firmæ, & ad speciem magnificæ videantur. Iam de germanis Societatis muneribus. In litterarum studijs consuetus fuit rerum cursus, tribus scholis, sacra Theologia, vna Philosophia, tribus alijs Grammatica, Humanitas, ac Rhetorica pluribus auditoribus tum domesticis, tum externis plus quam trecentis, magno cum discipulorum fructu explicata. Quod Theologi Philosophique, pluribus assertionibus defensi sæpius ostenderunt. A Rhetoricis etsi totius anni decursu non semel, maxmè tamen in N. B. P. Ignatij, Stanislaique diebus lætissimè celebrandis, pietatis, ingenij, & eloquentiæ multis orationibus & carminibus egregium specimen datum. Tanta in Stanislauum omnium scholasticorum pietas, animique deuotio, vt illius imitandarum virtutum desiderio flagrantes, ex vna Rhetoricæ Classe duodeviginti sæcularem vitam cum Religiosa commutarint. Ex quibus non pauci in Societate recepti constantissimè perseuerant. Nec minor ex tribus Deiparæ Sodalitijs in hoc Collegio superioribus annis institutis, fructus perceptus. In Sacerdotali auctus numerus ad centum & quinquaginta, in quibus nonnulli maximo suorum animorum emolumento Societatis meditationibus mætrem applicuerunt: è duobus alter Societati nomen dedit, alter familiam Franciscanorum, qui nudis incedunt pedibus, adiit. In Laicorum hominum Sodalitio, etsi nihil acciderit noui, antiqua tamen pietatis officia retenta, in quibus Sodales ita se diligenter exercent, vt cæteris præluceât exem-

plo: sacris concionibus frequenter interfunt, haud
 exiguas pauperibus eleemosynas erogant, crebra
 confessione expiatum maculis animū coelesti pabu-
 lo pascunt. Nec eorum erga aegrotos misericordia
 solito minor, singulis enim Dominicis diebus (vt
 de more est) Nosocomia inuisunt, agrisque bene
 conditis epulis reficiendis, ac omni ope iuuar. dis di-
 ligenter incumbunt. Externi etiam scholastici in
 suo Sodalitio praecleara saepe moluntur & praestant.
 De purissimo Deiparae conceptu celebrando per
 octo continenter dies (vt assolet) à Poetis Oratori-
 busque praecclare, linguis calamisque certatum, uni-
 uerso interim Scholarum impluuium mira poema-
 rum varietate, alijsque artis & ingenij opibus exor-
 nato. Praemia extremo die distributa, ac Dialogus
 datus, cui Praeses Regij Senatus sodalitij patronus,
 alijsque senatores adfuērunt, quod satis ostensum
 eo decreto, quo de nobis mira praedicant, indige-
 nisque huius urbis seuerè praecipunt, vt singulis
 Dominicis diebus in nostrum templum conueni-
 ant, Catechesim à nostris, ac de rebus diuinis con-
 cionem audituri. Quod tanti fuit ponderis ac mo-
 menti, vt intra paucos menses inde plusquā ducenti
 sceleratissimi à concubinis atque pellicibus sint ab-
 stracti, & à portentosa computatione sint deterriti.
 Quidam concione Patris, de contritione verba fa-
 cientis, ita in seipsum concitatus est, vt statim pro-
 pero gradu montem petierit remotissimum, atque
 ibi per octo continenter dies ligulis & inedia gra-
 uissimam egerit pœnitentiam: indeque reuersus
 quaesito Patre, totius anteaetæ vitæ crimina per
 confessionem eluerit. Alius etiam ex Indorum So-
 dalitate

dalitate, audita Sacerdotis nostri concione, sic suæ salutis flagrauit cupiditate, vt domum nostram receptus, sua sartoris opera nostris vsib⁹ inseruiat, alteri adiunctus indigenæ, qui in domo Probationis iam plures annos inhabitat: maximo cum Indorum exemplo. Vterque igitur multū temporis quotidie in tacita oratione consumit, & octavo quoque die confessione præmissa, sacra Synaxi se munit. Alius ex Incarum, hoc est, Regum stirpe, vestem serici leuis cum sago pauperis commutauit, & parte capillorum detonsa (qui maximo sunt illis tum honori, tum ornamento) domum se nostram contulit summo diuino numini seruiendi desiderio, quod adhuc constantissimè præstat. Virtutis probatæ fœmina annum octogesium agens frequenter se flagris acriter cadens, & asperissima vti solita veste, in nostroque templo quotidie sacris assistens, vita functa suum in illo corpus voluit sepulturæ mandari, bis mille quingentis aureis testamento Societati relictiis. Alia est erecta Sodalitas ex indigenis partim cœcis, partim morbo ad laborem impeditis: quod huiusmodi genus hominum vehementer sit otio, cibis ac somno deditum: atque adeò in summo versetur suæ salutis discrimine. His ergo (qui iam numerum quinquagesimum explent) cautum est, vt statutis temporibus confiteantur, concionibus intersint, singulisque diebus sub vesperum pro nostri templi foribus adstant ad Deum orandum, & pios hymnos concinendum, & ignaros indigenas nostræ fidei rudimenta docendum. Nullus dies præterijt, quin vnus è Sacerdotibus nostris Nosocomium Indorum inuiserit, cibosque delicatos, à viro quodam

dam pio liberaliter impartitos, pauperibus ægrotis detulerit. Ex quo ingens ægrotantium bonum peccatorum absolute, emendationeque morum est subsequutum. Alius etiam est Æthiopum coerus diu iam in hoc Collegio coniunctus, quod gens hæc (quæ quindecim millium numerum in Vrbe, & prædijs eius excedit) ob ruditatem & imperitiam, de animorum obtinenda salute vehementer periclitetur. Illis ergo singulari quadam ratione hoc anno consultum. Nam ab generali sedis Metropolitana Vicario, nobis precantibus, est decretum, vt vesper diebus Dominicis hora signata Æthiopes iuncti ad Urbis templa conueniant, quos nostri scholastici dispersi coeuntes Christianam illos doctrinam edocent. Deinde his miseris est prouisum puerorum Æthiopum institutione: die quouis Dominico huc plus quam ducenti concurrunt, summo desiderio fidem nostram addiscendi, quam postea domi suæ grandioribus natu explicat. Quare ex eorum mentibus ignorantia discussa caligo, multaque scelera ab illis non raro perpetrari solita, è medio sublata, meliori viuendi ratione suscepta. Argumento sit Æthiops quidam, qui cum ægrotaret, à sensibus aliquandiu abstractus, ad se tandem reuersus, Beatorum plures se conspexisse, & illorum aliquos agnouisse dixit: Archangelum potissimum Michaelem. Suæ etiam mortis horam prædixit, aliaque plura tanta proprietate ac viuacitate narrauit, vt satis clare veram esse visionem appareret. Quos autem fructus ex concionibus ad Hispanicum populum habitis Societas nostra collegerit, si singula velim referre, longior sum necesse est.

Qua-

Quapropter pauca de multis attingam. Sceleratus quidam, diu iam in malorum profundo demersus, tamen diuina bonitas, vt inde emergeret, porrigebat opem, adeo, vt in solitudine frigoribus, atque gelu miser penitus congelasset, nisi repente turgurium apparatus sibi cœlitus reperisset: ipse tamen resistebat, donec multis Sacerdotis nostri concionibus è fœdissimo luto emerfit. Alium Deus Sanctissimus, qua est in homines bonitate, in concione cuiusdam è nostris, vt nuncium mundo remitteret, euocauit, ipse vero quasi sagitta confossus grauissimè doluit; ac ne iterum tali voce premeretur, iurauit se nequaquam deinceps illum concionatorem auditurum: sed penituit hominem pessimi iuramenti, atque iterum eundem Patrem de bono statu Religionis dum auscultat, constanti mente decernit, sacrum illum statum tota sua vita complecti. Attamen iam eum ad Religionem gradientem duo penitus ignoti homines, ad pugnam ineundam prouocant, & malè fustibus cœsum derelinquunt: qua iniuria suscepta protinus mentem mutauit, sed rursus audita concione, noluit amplius diuinæ vocationi resistere, & religionem ingressus, adhuc immota mente persistit. Alius ter clarè vocem percepit, qua cuidam è nostris expresso nomine crimina sua detegere iubebatur: quare voci cœlesti assensus est, incredibili animi gaudio. Liberatus est à morte Eques nobilissimus nostri Sacerdotis hortatu sua-que, quam Sabbato hebdomadæ sanctæ quidam improbissimus, acceptis ducentis aureis, facere destinarat. Duæ excursions quotannis ex hoc Collegio fieri solitæ, incredibile hoc anno fructum retulerunt.

lerunt. Prima ad portum duarum ab hac vrbe leu-
 carum interuallo, Callao nuncupatum. In illo ere-
 ctæ duæ congregationes, altera Hispanorum, Indo-
 rum altera. Prima sub inuocatione & patrocinio
 Virginis Lauretanæ, cuius Præfectus est designatus,
 qui & præcipuus Peruanæ classis: atque in illam
 cum Parocho, & nobilioribus oppidi frequens po-
 pulus receptus. Primum Sodalitij solemnè diem in-
 solita pompa Sodales omnes peregerunt, adhibita
 à templo maximo ad nostrum vsque celebri suppli-
 catione omnium Sodalitatum insignibus exornata.
 Pater Rector Limensis illa die ad populum verbo
 fecit, mira omnium approbatione. Altero die Domi-
 nico Sodales omnes cœlesti pane refectione: atque
 animam in nos gratissimum pro tanto bono sus-
 cepto maioribus pietatis officijs compensarent,
 per totum Quadragesimæ tempus, illuc duos Sa-
 cerdotes cum Fratre missi, qui populum Societati
 nostræ maxime deditum, exhortationibus, exem-
 plis, concionibus, spontaneisque verberibus, qui-
 bus se singulis hebdomadis in nostro templo ple-
 ctunt, adiuuant. Ergo vitia maxima diu iam inlita,
 radicitus auulsa: inueterata odia inter Principes vi-
 ros penitus sublata. Altera Sodalitas Indorum ere-
 ctæ sanctissimi pueri Iesu deuotioni addicta, maxi-
 mos quotidie in virtute progressus facit. Singulis
 diebus Dominicis duo illuc Fratres mittuntur: vt
 tam Indi, quàm Æthiopes (quorum est maximus
 numerus) de nostræ fidei initijs doceantur: ex quo
 ipsi summam vtilitatem percipiunt. Secunda expe-
 ditio in Villam, & Conuallem Ichensem, quàm
 plura commoda illarum habitatoribus attulit. In-

uenit

venit enim Pater cum Scholastico nostro missus,
 plures indigenas, qui nec Cruce faciem consignare
 in tota vita didicerant, tunc tamen diligenter edo-
 cti, & sacra confessione criminibus expiati. Senex
 quidam octogenarius a ijs præibat exemplo, qui-
 pe qui algens, ac tremens cum ipso lucis exortu ad
 fores veniebat Templi, vt Catechismum perciperet.
 Vidit sacerdos noster in quodam vico parochū
 duos pueros baptismate sacro initiantem, idque
 ampulla lacris inferuiente: accessit illuc de facto
 dubius, & infantes reperit ablutos vino: itaque er-
 rore comperto, iterum sacro fonte lustrati. Duo è
 nostris hoc anno ad cœlum, vt confidimus, emigra-
 runt. Primus Pater Didacus Cuenca solemnibus
 quatuor votis emissis, anno septuagesimo vitæ, &
 trigesimo septimo in Societate completis, insignis
 ob naturæ dona, insignior tamen ob dotes animi: In-
 dorum conuersioni maximè deditus, iam grandæ-
 uus linguam Indicam vniuersaliorem didicit, &
 optimè tenuit: asperitas, ieiunia, verbera, & cœle-
 stium rerum contemplatio in illo continua fuere:
 & tandem vt patientia perfectus euaderet, vehe-
 menti, longoque morbo correptus, post annum
 animam egit. Breuius, celeriusque vitam reliquit
 miseram, Frater Antonius Farfan Scholasticus, qui
 vigesimo primo anno ætatis, & secundo ac duo-
 bus mensibus in Societate expletis, propter virtu-
 tes, quas breui comparauerat maximas, extinctus
 apud omnes sui desiderium reliquit. Tanta est fama
 virtutum, rerumque mirabilium, quæ ad nos de
 Beatissimo nostro Ignatio quotidie perferuntur, vt
 etiam in ijs remotissimis mundi partibus in ipsum
 pietas

pietas & religio in dies magis augetur. Narrantur
 aliqua mirabilia, sed quia communia, prætereo. Atque
 ut res huius Collegij finiam; hoc anno primum in
 dicta est supplicatio in horas quadraginta distincta
 quæ amplissima concessione gratiarum à summo
 Christi Vicario Beatissimo Paulo quinto facta, et
 nullus, omnium opinione, solemnis dies, postquam
 hæ Prouinciæ habitari cæperunt, lætior & illustrior
 fuerit. Tanta vis hominum ad nostrum templum
 confluit, ut non Bacchanalium tempus, sed hebdomada
 sancta videretur: exornatum erat templum
 aulæis sericis, & sacris imaginibus mirè depictis, tum
 quæ Sanctissimi Christi vitam exprimerent, tum
 quæ Beatos nostros, & Martyres oculis subijcerent.
 Ara maxima fulgebat sanctarum Reliquiarum
 genteis, aureisque thecis, admixtis multis luminari-
 bus super candelabra ex argento, miro opere per-
 fecta, & inter maximam herbarum, florumque
 rietatem summo ordine collocatis: huc accedebat
 thymiamata, aromata, vaporariaque, totum tem-
 plum suauis quodam odore complentia; quæ omnia
 ingentem, & sensibus voluptatem, & animis affere-
 bant pietatem, & religionem. Hoc igitur apparatu
 commoti homines, relictis sædis delitijs, ad cele-
 stes properabant, atque is erat omnium ardor, ut
 multi non hora solum vna contenti, quæ cuique
 orandum præfiniebatur, longiora etiam interualla
 requirerent. Confitentium numerus ex omni ho-
 minum genere penè innumerus, & eorum qui ad
 sacram Eucharistiæ mensam accesserunt, in nostro
 templo ferè bis millesimum attigit; eademque fuit
 in alijs totius Urbis templis poenitentium, sequenti
 uita

minis epulis reficientium; frequentia. Habitæ à nostris Sacerdotibus tribus illis diebus sex conciones, tanto animi conatu, vique verborum, vt mentes audientium ad sese facile raperent. Quapropter vehementer confidimus fore vt quotannis magis ac magis hi solemnes supplicationum dies maiori deuotione colantur. Sed de Regum Collegio hactenus, nunc ad alia veniamus.

DOMVS PROBATIONIS LIMENSIS.

Cum duodecim annis hæc domus in Diui Iacobi sede extra Urbis mœnia constitisset, hoc anno ad commodiorem propinquioremque locum intra muros suum mutauit domicilium. Iuuit hanc migratione Dominus Antoni⁹ Correa huius domus fundator, viginti & octo millibus ducatorum, ex quadraginta duobus millibus, quos promisit, statim liberaliter impartitis: est enim vir cum ipsa nobilitate maximam probitatem, modestiam, & animi submissionem coniungens; vt præclara signa dedit, cū primum D. Antonio Abbati sicut noui templi Patrono, Societas in hac domo lætissimum diem egit. Cereum namque Fundatoris sibi, vt mos est, collatum, ad maximam aram remisit: inuitatusque Crucis osculo inter sacra solemnia, terram ipse est osculatus: tantus denique eius in nos amor existit, vt semper occasiones quærat illum nobis significandi. Itaque duas nouo templo Cruces ad altaris exornationem, quarum altera ducentis, altera quingentis aureis constat, munificentissimè condonauit: & quotidiano

tidie ab illo maiora expectamus beneficia. Accesserunt ad Societatem optimæ indolis & expectationis Scholastici quatuordecim, ex ijs vnus Regij Senatoris frater: à quo multa illustria munera non frustra sperare poterat, sed spem huiusmodi maiora gloria sempiternæ deuicit; Fraterque noster effectus est. Sacerdos etiam Theologus iuris vtriusque peritus, ac totius Metropolis Vilitator, graui febrilaboras, sese Deo voti sponione constrinxit, & vt primū potuit, se domum nostrā recepit. Quidam præterea Cantaber, homo potens & locuples, suarū diuitiarum dimidium ad directionem Collegij nostri in sua patria, non procul à B. nostri Ignatij natalibus, elargiri de creuerat, cum tamen meditationibus Societatis dies aliquot animum applicuisset, diuino numine collustrat⁹, nostris est associatus. Tam hi, quam Tyrones alij præclara virtutis opera præstant, atq; omnium oculis vt lumina splendidissima lucent: ita suis imperant cupiditatibus, iam dum publicè, in triuijs & compitijs, mendicorum amictu stipem colligunt: iam dum menses Nosocomijs inseruiunt, iam dum admixti pueris nostræ fidei summa capita canūt, & alia abiectissima munia libenter exercent. Sed de probationis domino satis.

COLLEGIVM SEMINARIVM

D. Marini.

Qui è nostris in hoc Collegio consistunt, in institutis & gubernandis centum & triginta Collegijs, tempus omne consumunt. Illud nouum & scitu dignum, erectum ex ipsis Collegijs pijs

religiosumque sodalitium Lauretanæ Virgini dedicatum, cuius sacellum in interiori Collegij parte, eadem qua Lauretanum ipsam mensura, & omnino ad illius exemplar conditum. In hoc Sodalitio recipiuntur summo delectu collegæ ætate iam prouectiores: suū exornare sacellū minimū est quod præstant, duo pietate Virginitatis allecti, prius tapetibus sericis eius parietes induerunt, quàm tale ornamentum fieri à quopiam intelligeretur. Sed præcipuè operam nauant in diebus cœlestis Reginae sacris, eius maximè Annuntiationis, Natalitiarumq; summa tum veneratione, tum concentu vocum, instrumentorum atque neruorum concelebrandis. Quauis die Dominica commissa sacerdoti detegunt, singulis mensibus non solum inuisunt, per hebdomadas distributi, aliaque pietatis munera lubenti animo præstant. Quidam præterea collega suis sumptibus Angeli Custodis pulchrè depictam imaginem ad latus alterum aræ maximæ collocavit, quæ alteri B. Ignatij penicillo mirè expressæ responderet. Itaq; hac occasione sodalitium alterum Custodis Angeli inter collegas impuberes erectum, iisdem religiosis officijs, quæ iam retulimus se totos alacriter deuouent. Quapropter Deus Optimus Maximus plures illorum indies singulos ad sacras familias eligit, quibus Religiosa cœnobia mirificè gaudent, quoniam virtutibus dediti onera religionis grauissima nulla difficultate suscipiant. Inter illos probitate, literis, ingenioque præstantes Societati nostræ duodecim adscripti.

N

SEDES

HOc anno res Christiana summo opere amplificata, primum concionibus frequenter habendis, ex quibus perceptus vberimus fructus. Indica foemina diues ac nobilis viro persuasit, vt mutata sede, multarum leucarum spatio ad hoc castellum commigraret, quod locus sibi commodior videretur ad salutem animi consequendam, ergo cum multas ex nostris audisset conciones, tandem se dixit animaduertere suorum ariolorum falsitatem, atq; mendacia, quæ se grauissimis criminibus onerassent. At licet ita sentiret, præ nimia verecundia sacerdotem nostrum alloqui non audebat, quem tamen libenter audiebat. Vis demum diuini verbi sic mentem foeminae compulit, vt finita illa cõcione, Patrem effulsis lacrymis adiret, sapiusque repeteret, vulnerasti cor meum Pater, amplius iam expectare non possum, meam quæso excipe confessionem, & grauissimo mœrore, quo crucior, meum animum eripe. Liberavit igitur eam Deus peracta salutari criminum pœnitentia, ad eandemq; virum cum impulisset, vterque nunc mutatis moribus perstat. Alterum etiam ex Indis maximo dæmon timore, verecundiaque retrahebat, ne grauissima quæ patrarat, crimina confiteretur, pridie igitur eius diei, quo ad genua sacerdotis tenebatur accidere, apud se statuit, talia scelera minime declarare. Attamen nocte illa, cum iam cubitum discessisset, in somnijs (vt ipse refert) ad templum nostrum se deferri persensit, ibique Christum Dominum in excelsa magnificentique throno confidentem conspicit à pluribus cœ-

litibus

libus circumdatum , præcipue Diuo Iacobo templi patrono : atque inde Iudex rectissimus iracundiam fronte , oculisque demonstrans , quid tu , inquit , sceleratissime , pessima flagitia meis ministris celare conaris? num forte si illos fefelleris , me ipsum poteris fallere , qui tua nefanda scelera penitus calleo? qui igitur audes in improba mente persistere? at illius , ut æquum est , gratissimas pœnas dabis. Itaque duo nefarii spiritus sanctissimi Christi iussu , ad inferos raptant miserum , sed reductum ex itinere gravissimè denuo hominem timore perterritum Christus obiurgat , imperatque ut verè , & integrè omnia sua scelera patefaciat ; & visio mox evanescit. Primo mane nostram domum indigena properat , nostroque sacerdoti rem omnem aperit , ad eiusque pedes iacens uniuersum nefas exponit , maxima peccatorum detestatione : postea pœnitens verus , sic prauos mores correxit , & in incepta virtutis via adhuc ita constans permanet , ut facile appareat , non illud vanum insomnium , sed diuinam admonitionem fuisse.

Deinde nouo quodam religionis officio , quod in purissimæ Virginis honorem exercent , multi ex indigenis à peccandi consuetudine retrahuntur. Nouem enim diebus , nostrorum hortatu , imagini pulcherrimæ Reginae cœlestis , ter illi singulis diebus assistunt , eiusque singulare præsidium summis precibus implorant , ut tandem peccatum aliquod , quo grauius perurgentur , penitus ex animo pellant. Hoc tempore mente vitijs expiata , cœlesti pane se muniunt , stipem egenis erogant , se à cibus permissis abstinere , & asperrimam vitam ducunt.

ducunt. Neque minorem fructum attulit huius ca-
 stelli accolis id consilium, vt nullus prætereat dies,
 quin sacro intersint sacrificio, quod primo mane
 conficitur, vt ipsi possint vel prædia excolere, vel
 alia munera propria obire. FERIA SECUNDA horis an-
 telucanis sacrum pro animis fit purgatorio igne
 cruciatis, tanta populi frequentia, atque in suos vita
 sanctos misericordia, vt Hispani conspicientes ad-
 mirentur, & aliqui eiusmodi Sodalitati velint ad-
 scribi, ne tot suffragijs priuentur. Erecta est hoc an-
 no maxima Crux & speciosa eo ipso in loco, vbi an-
 tea damnati supplicijs debitis plectebantur, ad illi-
 usque cultum, & reuerentiam ita sunt exhortatio-
 ne nostri sacerdotis inducti, vt diem quo illhic est
 constituta, solemnè pompa, suauissimisq; cantibus
 instrumentorumque dulci modulatione peregre-
 rint. Ad eam iam constitutam multi noctu concu-
 runt, vel crucibus, vel saxis grauissimis onerati, vt
 opem à Christo Domino per suam Crucem, & per
 Passionem implorent. Quidam turpium cogitatio-
 num pòdere miserrime pressus, diuinum auxilium
 ad Crucem accedens, onustus ingenti pondere, illi-
 cò sensit, atque ita orto sole lætus & alacris, vt ac-
 cepti beneficij gratitudinem ostenderet, confes-
 sione crimina diluit. Hæc in hac sede præcipua.

COLLEGIVM CVSQVENSE.

HOc anno messem copiosam ex hoc Seruatoris
 agro Societas nostra collegit, quod multi in
 illo operarij diuino ardore succensi laborarint: Ita-
 que nostrorum conciones frequens populus exau-
 diuit, maior numerus poenitentium domum no-
 stram

Aram vndique concurrat, & diuino se pane refecit. Tria sodalitia in hoc Collegio stabilita, consuetum animi cultum, & reuerētiam ad res diuinas, & præclara virtutum opera retinent, nosocomia, custodias, inopum domos frequenter adeunt, maximo totius vr̄bis exemplo. Laicorum sodalitiū imagines quasdam bellè depictas in suo sacello statuit, quæ illi stant duobus millibus aureorum, quo ornamento ditissimum & pulcherrimum ex omnibus huius regni putatur esse futurum. In studiis literarū Humanitatis, Philosophiæ, ac Theologiæ mediocri numerus auditorum, maximam in doctrina fecit progressionem, quam publicis disputationibus demonstrauit. Ad varia religiosorum cœnobiaz se multi è scholasticis cōtulerunt. Puerorum deinde cōiunctus cœtus, vt singulis diebus Dominicis primo vespere Catechismum ediscant, ac de nostræ fidei initijs disputationibus habitis, ad honorum gradus insignibus Doctorum condecorati prouehantur, atq; his stimulis mirum est, quantum in doctrina Christiana proficiant. In vincula coniecti maxime nostrorum cōcionibus adiuuātur: vnde Societatis opera iudices semper vtuntur, cum aliquis grauioribus supplicijs est plectendus. Tanta pietate ex his vnum sacerdos noster hortabatur, vt ad exitum vitæ se compararet, quam suspendio erat finiturus, vt miles quidam eiusdem mansuetudinem cernens, se minime continere potuerit, quin altero die grauissimè suis sceleribus dolens, quæ per triginta annos sceleratè commiserat, ad pedes huius sacerdotis iacuerit, vera scelerum confessione ad diuinam se gratiam obtinendam disponens. In hunc

N 3 ipsum

ipsum annum Illustrissimi Quusquensis Præfulis, in vigilia Principum Apostolorum, mors incidit præclarissima, maximo totius huius vrbis & regni doloris sensu, nostrorum tamen acerbissimo, quod hæc Prouincia, imo vero cuncta nostra Societas eius interitu, verum parentem atque patronum amiserit, illam enim vnice diligebat, & omnibus eius necessitatibus, quasi in illa natus & altus esset, auxiliabatur. Præcepit vt sua ossa in nostro templo deponerentur. Vnde funus amplissimum Pater illius Collegij Rector, vniuersa ciuitate ad sui Pastoris exequias cohonestendas luctu maximo confluyente, illius cadaveri faciendum curauit. Hic à prima ætate Præful illustris maxima cura litteris operam dedit, & Bononiæ in amplissima totius Italia Academia, tum artes liberales ac Theologiam, tum ius canonicum & ciuile, clarissimo in illo doctoratus gradu suscepto, mirifice comprehendit. Rectorque Hispanorum Collegij in illa vrbe iam pridem erecti, Concilio adfuit Tridentino. In Hispania deinde præclarissimis sacrae fidei Inquisitoris, Vicariique generalis, per decennium Ecclesiæ Iaensis, & alijs amplissimis muneribus functus, Pontifex tandem Cusquensis à Rege Philippo, & summo Ecclesiæ Pastore renuntiatur. Perpendit vir tum prudentissimus, tum summissione mentis insignis, cum illo honore maximum onus esse coniunctum, atque ita totis viribus contendit in alium illud rejicere. Regem adit Philippum, suaque illi vitia detegit, vt hac ratione in suam sententiam illum adducat. Rex vero tantam animi demissionem miratus, primam designationem semel iterumque confirmat:

mat: ergo diuinæ voluntati ita perspectæ resistere non ausus, munus suscipit, & latissima maria trajiciens, post innumeras procellas atq; labores, Cuscum demum peruenit; vbi statim nobis animum patefecit suum, quantumq; sibi res Societatis cordi essent, verbis & operibus demonstrauit. Nihil arduum & difficile vnquam sine nostrorum consilio egit, & quod maius est, vnum è nostris ferè semper electum habuit, cui animi labes ostenderet, cuiusque salutaribus monitis acquiesceret. Ex amplissimis opibus, quas ex vniuersa diœcesi quotannis colligebat, nihil vnquam quo laxiorem vitam duceret, reliquit sibi. Omnia namque sua bona, vt ad se peruenerant, large pauperibus condonabat: ex illis nostra Societas maximâ partem obtinuit, nam in Domum Probationis Basanam & Collegium Guamanense, supra centum mille aureos maxima liberalitate distribuit, alios quindecim mille Cusquensi dedit; Professæ Domui Romanæ bis mille remisit. Longior essem, si vellem singula huiusmodi recensere, quare illa omnia vno verbo completar, hunc illustrissimum Præsulem sicut verum parentem, cunctam Societatē habuisse charissimam, & vt singularem patronum nostris rebus fuisse maximo præsidio, commodo, & ornamento. Sed illud certe mirabile, tantam liberalitatem cum mira quadam paupertate iunxisse, nunquam enim in eius corpore vestis serica fulsit, sed lanea talari toga Princeps clarissimus tegebatur; quo sæpe amictu vestes cilicinas occultabat. Non dixerim medias, vigiliis, verbera, aliaque quamplurima pœnarum genera, quibus etiam senectate confectus suum cor-

pus excruciat. Vnde mirum non est profectò, si tanta in illo extiterit puritas, vt tota vita virginitatem seruarit. Æquitas tandem atq; iustitia in ipsius gubernatione mirabiliter eluxit. Pater Illefonfus à Pozo obiit, quadraginta septem annis natus, ex quibus septem in Societate consumpsit: sed breui tempore ingentes virtutum diuitias comparauit, nam cum ipsa natura nimium ad iracundiam raperetur, nemo tamen illum vnquam iratum vidit; tanta fuit modestia præditus, vt in quadam expeditione Indicæ fœminæ dicerent, Patri se cæco peccata explanasse sua (Patrem Illefonsum intelligentes) Ita in se asper erat ac durus, vt quotidie se acriter verberaret, adeo vt vicini Patres, illi carnificinam modum imponeret, ipsum admonerent. Charitate in proximos maxima ardebat, semperque indigenas quæritabat omni ope destitutos: ijs ergo præclaris operibus Deo placens, demum se ad fœlicem exitum, quadam à vitæ primordio criminum expiatione, decem ante morbum diebus comparauit. Postmodum graui vexatus agrotatione, omnibus susceptis Ecclesiæ sacramentis, fœliciter discessit. Quem paruo interiecto tempore Frater Illefonfus Ortizius subsequitur, annum octauum, & quinquagesimum agens, decem & octo in Societate completis, omnium virtutum exercitationi deditus, verus obiit religiosus. Sed iam res ipsa postulare videtur, vt aliquid de præcipuo münere, quod Societas in his remotissimis mundi partibus præstat, ipsas indigenas omni ope iuuando, consueta breuitate dicamus. Est in hac vrbe quondam Incarum Regia, ingens Indorum numerus, ita nostræ fide, ac totius

Reli-

Religionis officijs excultis, vt nulla fere vestigia antiquarum superstitionum in illa reliqua sint. Indorum Sodalitas quotidie augetur, numero, diuitijs, & præclaris ad diuinum cultum ornamentis; quorum valor quindecim millibus scutatuum penditur. Templum quod est in nostro Collegio indigenis solummodo dedicatum, hoc anno pulcherrimè restructum, speciosoque opere calatum, & laqueatum: ad eius ornatū ara ditissima, pulcherrima, absoluta, & ipsius aræ tabernaculum opere mirabili omni ex parte perfectum. Confluxit vndique tanta pœnitentium multitudo, vt multi è nostris sacerdotibus à primo mane ad primas tenebras vsq; (si prandij tempus excipias) illorum excipiendis confessionibus sæpe in nostro templo perstiterint. Itaque duo tantum è nostris quadringentos indigenas totius anteactæ vitæ sceleribus absoluerunt, inter quos multi triginta annorum, & quadraginta sordes eluerunt. Indigena quidam nobilis minus milliario distans à vico, extremum agebat spiritū; cum eius vxor Patres aduentasse conijciens, domum suam illos propere accersit, occurrit illico illorum alter, & cuncta à puericia peccata repetita cum exaudisset ab ægro, & illum sacro vnctionis oleo perunxisset, loquendi vsum amisit. Hanc Provinciam miserimè vastant quatuor hostes immanissimi, idolorum scilicet cultus, veneficorum numerus ingens, ebrietatis vitium, & aliqua atrocitas. Contra hæc igitur immania vitia assiduis diuini verbi telis coniectis, plurimum mētes expugnata, & à dæmonum castris ad Christi ouile traductæ. Itaque cum in fulminis venerationem sacerdos noster

N s acriter

acriter verbis inueheretur, vi concionis quidam conuictus, multa nefaria Patri patefacit, totis artibus contremiscens, illique tremoris causam querenti, ne putes, inquit, me non difficillimum quid præstare, dum tibi nunc ea explicem, quibus quindecim annos, sicut verbis diuinis, credidi. Sacrificia enim quamplura malo dæmoni sæpius obtuli, vt malis meis omnibus mederetur: quod quinque scelerati venefici mihi faciendum esse suaserant: neque ijs contentus vnus ex illis, meam mentem perpulit ad credendum, duos quos mihi vxor pepererat, non ex me, sed ex fulmine concepisse, quã ob causam interstina dissidia inter me & illam, septem annos intercesserunt. Tunc Pater vt maculas animi confessione lauaret, hominem exhortat, cum id fecisset, ingentes gratias pro mentis tranquillitate identidem Christo Domino referebat. Improbissimus dæmon cœcæ mulierculæ persuaserat, vt se tanquam Deum veneretur, quod illa tribus vicibus præstitit, promittens in quouis malo quo premeretur, se opem ab ipso postulatorem. Postea vero facta confessione, miserum deceptorem execrabatur. Nec minus extitit admirandum, quod alij ex indigenis accidit, qui totum idolorum venerationi se dederat, & cum grauitè agrotaret, salutis ardens cupiditate, septem consuluit ariolos, quorum vnus ad altissimum præruptumque saxum impium hominem derulit, vbi decies insensibili lapidi genua flexit, & victimas obtulit execrandas; sed cum nullum remedium reperisset, tandem audita concione, reperit diuinum auxilium, quo demum impulsus, summo animi dolore commissa crimina confessione deleuit.

deleuit. Mendacij pater indigenis rusticis persuaserat, nequaquam illos amplius posse bibere, si vel semel tantum cœlesti fuissent conuiuio recreati, quare in oppidis mille hominum vnus aut alter inuentus, qui sacram Eucharistiam suscepisset, nostri tamen diuino spiritu concitati, eiusmodi timorem ex illorum animis eijcientes, ad frequentem vsum huius admirabilis sacramenti ipsos perpulerunt, ita vt iam frequentes populi se inedijs, vigilijs, & verberibus compararent, ad bonorum omnium fontem in suis pectoribus excipiendum, & hac ratione vberius copiosas gratias peccatorumque remissiones his missionibus concessas consequendum. Quare duo inter Indos nobilissimi, capitali duorum annorum odio sublato, priusquam ad sacram mensam accederent, ad familiaritatem pristinam redierunt. Alij etiam duo fratres, quorum alter ab altero laesus alapa multis spectantibus, septem annos ab illo odio terribili dissidebat, nunc nocenti ignoscens, ambo inimicitias deposuerunt, & post sacrum cibum suis sumptibus pauperib⁹ ministrarunt. Multę sunt preterea magni momenti nummorum, aliarumque rerum factę restitutiones (quod Indorum genti nimis est arduum) & ex ea pecunię summa, cuius domini ignorabantur, templum satis grande tectum, multorumque pauperum inopia subleuata. Alius indigena viginti integros annos sua scelera non confiteri statuerat, etiamsi certus esset sempiternos damnatorum cruciatus sibi subeundos, at tamen diuino consilio de celo fulmine tactus, quo diem vnum mutus permansit, mutata sententia, magno animi sensu à primo rationis vsu contractas

maculas

maculas confessione diluit. Periurus quidam innocēti sacerdoti per summū scelus duas cēdes affinxerat, eiusque testimonio falso abdicatus beneficio, adhuc gravissimè premebatur, quousque iniecto à nostris æternæ mortis supplicio, quo apud inferos periuri puniantur, miser tandem respicit, nostrisque duas leucas comitatus, suum illis crimen aperuit, cuicumque satisfactioni se liberaliter offerendum suo animo mederetur: nostri per literas à læso sacerdote veniam obtinuerunt, ea conditione, ut ipse cum vxore delicti conscia, coram multis testibus imposita crimina retractaret. Deuentum tandem consultò ad celeberrimum quendam locum, vbi dæmon fœdissimus ab indigenis colebatur. Erat hæc summæ magnitudinis rupes, sua natura candida, quatuor minoribus saxis nitens, ea proportione, ut industria hominum illhic apposita videretur. Rupes ab inferiori parte ita erat excauata, ut medium orbem conficeret; quo illis qui eam à longe prospicerent, terribili incusso terrore, trucis beluæ capitis speciem præ se ferret. Mirum est (cum non longe à via publica distet, qua semper multi prætereunt) quot illa dæmon animorum strages effecerit. Multis igitur indigenis ingenti timore territatis illuc adductis, fallacias dæmonum Patres illis explicarunt, ac demum in rupem lapides coniecerunt, quo exemplo Indi commoti, idolorum cultum execrantes, multis illam saxis appetentes, Crucē maximam & pulcherrimam in eminentiori loco posuerunt. Atque hæc de Cusquensi Collegio dicitur
sint satis.

COL-

COLLEGIVM POTOSINVM.

Sacerdos vnus cum Fratre villam nostram viginti leucarum spacio ab vrbe distantem incolit, ex cuius fructibus Collegium alitur: sunt in illa serui nostri viginti quatuor, operarijque quadraginta annua mercede conducti, omnes prædiis culturam adhibentes; quorum animis Pater consulit. At in Collegio, etsi nostri omnes summo Societatis munia peragunt, non tamen tantæ hominum, tum multitudini, tum varietati possunt animo satisfacere. Versantur enim illic Hispani quamplurimi, Æthiopum maxima multitudo, numerus indigenarum innumerus. Laicorum Sodalitium, sicut cætera huius regni, omni genere pietatis & bonorum operum, summopere studet excellere. Cum indigenis etiam vehementer à nostris laboratur, qui hoc in municipio in maximo salutis discrimine maiori ex parte versantur: quapropter infinita illorum multitudini diuini verbi pabula Societas tribuit, & ipsi famelici cibum huiusmodi libenter ab ipsa suscipiunt. Tandem meditatio illa perpetua in horas quadraginta diuisa, cuius iam supra memini, non minori celebritate, pietate & cultu, tum externo templi, tum animorum interno, hic à nostris, quàm Lima, peracta. Sed de huius Collegij rebus hætenus.

COLLEGIVM AREQVIPENSE.

CVM hæc ciuitas ex florentissima regni ad summam miseriam paupertatemque deuenerit, nostrum etiam Collegium omnium illius laborum
neces-

necessario particeps est futurum: attamen benignissimus Deus ita nosros cœlestibus donis cumulat, ut ipsi summo gaudio tot incommoda perferant, & ciues lacrymis & mœrore confectos, ad tot mala æquo animo toleranda, verbis & exemplis exhortentur. Cum Prætor ciuitatis longius abesset ab vrbe grauiter ægrotus, à Patre Rectore suis litteris enixe petijt, ut vnum è nostris sacerdotibus mitteret, qui se consolaretur, & adiuuaret. Missus Pater suo conspectu tanta lætitia Prætorem affecit, ut statim se melius habere confirmaret. Sacellum maximum nostri templi iam Deo fauente tectum, & reliqui parietes ex dolatis quadrisque lapidibus ad altitudinem quadruplicis humanæ staturæ, erecti. Statutum præterea hoc anno, ut cuiusuis mensis secunda Dominica, omnes qui sunt ex Virginis Sodalitio, simul in nostro templo cœlestibus epulis reficiantur. Egentissimus quidam, tametsi graui febri laborans, maiori tamen tristitia premebatur, adeo ut animi salutis oblitus penitus videretur; at eius amicus vicem hominis grauiter dolens illi suadere cepit, ut ad mortem, quæ videbatur instare, se criminum expiatione pararet, cum renueret, sacerdotem nostrum amicus accersijt, ut ægro penè desperanti remedium adhiberet; cepit Pater ægrum pauperum pijs meditationibus commouere, at ipse tacens persistebat; inde tamen licet coactus, ad nosocomium deductus, & maximis hortationibus incitatus, diuinis sacramentis ritè susceptis, breui è vita migravit. Alius etiam sceleratissimus inopia summa compulsus dæmonem euocare cupiebat, ut se tanta miseria liberaret; sed cum factum impium vellet

vellet exequi, è cœlo admonitus suum consilium cum nostris communicavit; cœlestique Numine collustratus, à se tenebras obscurissimas repulit, suamque paupertatem patienter sustinet, donec divina liberalitate leuetur. Duo præterea homines suspicionibus adducti, suas vxores statuerant iugulare, nostrorumque tamen hortatu ab improbo facto repulsi, domi suæ pacato animo viuunt. Indorum Sodalitas eisdem hic, quos in reliquis Societatis domicilijs, fructus attulit. Vnus ex hoc Collegio ad Condesuorum Prouinciam missus, omni ope, diu noctuque miseros indigenas adiuuando, maximam vtilitatem illorum animis attulit. In quadam fluminis ripa decem leucartum interuallo Indorum quingentos reperit, piscibusque capiendis intentos vel, colendis agris occupatos: quorum neminem sine confessione reliquit, multosque turpes diremit concubitus, & maximas dissensiones sedauit: intestina potissimum odia inter Parochum, & oppidi Dominum (vulgo encomendero) quæ iudex bis ad id delegatus, non modo non minuerat, sed mirum in modum auxerat: verbo tamen Domini, quod penetrabilius est omni gladio ancipiti, sacerdos illa diremit, & ipsorum animos ad concordiam reuocauit.

COLLEGIVM PACENSE.

AVta hoc anno Collegij huius habitatio quadam noua ædium parte iam pene omni ex parte constructa. Crux etiam ex argento deaurato septuaginta sex aureorum pondio perfecta: nostrumque templum duabus imaginibus pulcherrimè pictis ornatum;

rum; altera laicorum Sodalitio destinata, ad cuius
 vtrumque latus singula maxima Reliquaria sunt
 fabrefacta. Altera Indorum Sodalitati addicta: tan-
 dem quatuor æra campana conflata. Ex nostrorum
 concionibus maxima Hispani commoda percepe-
 runt: ex illis quidam vehementissimis grauissimo-
 rum scelerum conscientiaæ stimulis ita crudeliter
 vexabatur, vt damnatorum supplicia sibi perpetui
 deretur: cunctos homines odio summo prosequen-
 batur, atq; illos potissimum, qui sibi beneficia con-
 ferebant, quibus vitam eripere peroptabat. Inter-
 dum miser crudeli mœrore confectus, illius reme-
 dium morte, atque suspendio quærere conatus: di-
 uinum illi lumen affulgebat, quo sua flagitia sacer-
 dotibus exprimere volebat. Mox tñ tanta tamq; ve-
 hementi tristitia premebatur, vt omnibus peti-
 sensibus caperetur. At inter tot ærumnas auxilium
 à Diua Virgine Guadapulensi flagitare non des-
 stebat, quam sibi semper Patronam Aduocatam
 delegerat. Aduenit celeberrimus dies, quo Virgini
 Natiuitas magnifico templi apparatu colebatur,
 quo die cum afflictus miles minus consideraret
 adeo efficaci motione de cœlo præuentus est, vt il-
 lico statuerit sordes animi confessione detergere
 & cum secum ipse perpenderet, quem sacerdotem
 adiret, quadem interna voce visus est admoneri,
 à nostri Collegij Rectore Patrem deposceret, cui
 suum animum aperiret. Consensit admonitioni
 iam verus pœnitens, & Patri sibi concesso cum in-
 terna vulnera genibus flexis vellet ostendere, per
 frigido sudore manans, deliquium animi patitur.
 Post tamen ad se non nihil reuersus, à Patre petit
 abeat.

beat, seq; miserum relinquat. Annuit petitioni Pa-
 ter, satis de foelici euentu sollicitus, itaque se rotum
 in præces effudit, clementissimum Deum orans, vt
 hominis illius misereatur. Postea in idem cubicu-
 lum reuersus, genubus terram prementem homi-
 nem reperit à diuina clementia auxilium postulan-
 tem. Sensit illico tanta largitate cœlestem opem, vt
 mira perfusus lætitia corpus à tantis angustijs, &
 animum à tot sceleribus vindicarit. Ex Indorum
 etiam messe latissima vberiores fructus percepti,
 cum non solum ex vrbe, sed ex vniuerso confinio
 domum nostram conueniant, non ignari quantis à
 Societate beneficijs afficiantur; vt quædam Indica
 fœmina suo Parocho quærenti, cur ad nos auri &
 argenti cupidissimos veniret sapius, perspicuè si-
 gnificauit, dum respondit; se à pueritia semper ad
 templum nostrum accessisse, nunquam tamen à se,
 vel ab alio nummum Patres postulasse: sed illos po-
 tius propria bona cum indigenis sæpe communi-
 care; neque etiam pro sacris, nuptijsve celebrandis,
 sicut alios parochos vel religiosos, Societatis Patres
 argentum deposcere; quo responso conuictus sa-
 cerdos, rubore perfusus abiit. Hoc anno argentæ
 tonsæ operæ præclaro cœlatae confectæ sunt, quæ
 Indorum Sodalitati amplius duobus millibus &
 quingentis aureis constant. Incredibile est quanti
 momenti fuerint exhortationes, aliaque pietatis
 officia, quæ in hac Sodalitate exerceri consueuerunt,
 ad ebrietatem atque luxuriam, maxima ex parte
 tollendam, siquidem nimium potum ignominia
 loco iam ducunt, & ipsam venerem foedissimam, &
 turpissimam iudicant: vnde centum amplius, qui
 O luxuriosè

luxuriosè viuebant, vel quatuordecim, vel viginti
 vel etiam annos triginta, à pellicibus sunt auulsi, vel
 cum illis matrimonio copulati. Multi Sodales, vt
 hoc vitium potissimè à sua mente depellant, tem-
 pus totam Aduentis à carnibus abstinent, & non-
 nulli solum nodo pane vescuntur: Verberibus eti-
 am, vesteque cilicina corpus torquent, adeo vt non
 defuerit, qui annum integrum setis acerbissimis se
 excruciarit, vt turpam cogitationū molestijs se li-
 beraret. Fœmina indigenam peregrinum inuenit
 grauiter agrotantem, statimque domum nostram
 accurrens, illuc Sacerdotem accersit, qui reperit a-
 grotum nondum baptisate sacro lustratum, quod
 inter pecudes in syluis natus, & educatus, postea
 iam grandior præ verecundia tantum bonum omi-
 sisset: tunc cœlesti lauacro purgatū hominem, statim
 ipsa vis morbi & omninò tandē morb⁹ deseruit. Alia
 fœmina iam diu à pessimo dœmone grauiter horri-
 ficis spectris vexata, & capillis tota domo raptata,
 Indorum Sodalitatem admissa, mox ab illa graui ve-
 xatione libera extitit. Quidam ariolus pestifer ab
 impio dœmone deceptus, multos à uia salutis auer-
 terat, sed tamen suo peccato dolens domum no-
 stram confugit, vt tot grauissimis malis remedium
 efficax adhiberet. Non sic accidit alteri deceptor,
 qui seipsum Christi sanctissimi fratrem prædicabat,
 & innumeris præstigijs, atque fallacijs ignaros in-
 digenas seducebat: hic ergò in suis maleficijs depre-
 hensus, multisque conuictus testibus, grauissimas
 pœnas dedit. Duæ tandem à nostris expeditiones
 factæ, maximè, sicut speramus, Deo sanctissimo ple-
 cuerūt

uerunt, quòd multis proximis salutaria remedia ad suam salutem fuerint adhibita, & plures ex pueris & adultis apud Indos lauacro coelesti abhuti; alijque complures vniuersæ vitæ delictis absoluti, & à morum prauitate ad honestam vitam traducti.

CHVQVISAQVENSE COL-
legium.

Omnia Societatis munera maximo totius ciuitatis commodo, & probatione, à nostris hoc anno sunt præstita. Tribus diebus in Quadragesima sub noctem cœpta sunt exempla referri, ingenti hominum turba vndique confluyente, ac sese postea acriter verberante. Attamen maxima multitudo, quæ ad nostrum templam conuenit, cum celebris illa oratio habita est per horas quadraginta, vix poterit hac litterarum breuitate percenseri. Atque ita id vnum dicam, excogitata fuisse præclara media, vt res foelicissimum quem habuit, euentum fortiretur. nam multo ante dies illos solenes Senatus, tum Regius, tum Ecclesiasticus, tum Urbanus admoniti, pro se quisque rem illam Deo gratissimam sicuti propriam suscepit. Primum diem summa veneratione cultuque celebravit vniuersum canonicorû Capitulum, illius Decano maximum sacrû faciente, summa omnis generis vocum iustrumentorumque varietate, eademque reuerentia & ornatu Virginis purissimæ Sodalitium feriam secundam sibi colendam suscepit; & finem tandem omni pietate plenissimum his sacris meditationibus feria tertia Senatus

○ 2

Regius

Regius imposuit, aureis quinquaginta præmissis ad templum multis luminibus illustrandum, quo die Archidiacon^o sacra peragens, Senatus Præsidi, cunctosq; Senatores diuino pane refecit: quod religiosissimum exemplū cunctus populus imitat^o, ad amplissimas gratias diebus illis concessas sacratissimis Pœnitentiæ, Eucharistiæq; sacramētis ritè susceptis se comparauit. Neq; minorem pietatis significacionem vniuersa gens Indorum ostendit, quorū amplius tria millia in platea nostro templo propinqua, eodem tempore diuini verbi semen à nostris concionatoribus sparsum libenter in suis cordibus exceperūt. Vnde bonorum operum vberissimi fructus processerunt. Sodalitas enim Indorum in carcerem detrusos conquistissimis epulis paut, quod misericordiæ munus singulis hebdomadis erga pauperes ægrosi exercet, & alia quamplura præstat, quæ quia cum a ijs Collegijs communia, prætermitto. Hispanorum sodalitiū (sicut & alia huius regni) ingentes gratias habet & refert pro maximo beneficio, quo ad istud primarium sodalitiū maximum publicis litteris est associatum; vnde Sodales omnes denuo vehementer accensi ad præclara pietatis officia. Sed illud inter cætera insigne, quod in sese receperunt toto anno vnum ex publicis carceribus copiosissime sustentare. Hoc tandem anno Scholasticorum sodalitiū erectum, qui, Grammaticæ schola maxima totius ciuitatis lætitia restituta, iam in ipsis initijs numerum quinquagesimum superant. Vnum ex nostris tyronibus, Hieronymum à Montenegro nuncupatum, Deus, vt confidimus, ad cœleste regnum vocauit: nam humillimæ demissionis

missionis atque patientiæ præclara semper præbuit
 exempla, tum valens, tum accerbissimo pressus hy-
 drope, qui tandem illi vitam eripuit.

COLLEGIVM D. IACOBI

Chilense.

PRiუსquam res præcipuas huius Collegij refe-
 ram, breuiter illa percurram, quæ in nostra nauig-
 atione, cum illud visitatum contenderem, accide-
 runt. Vehabantur vna nobiscum præter plures
 nautas & peregrinos, militum manus, partim sua
 sponte, partim inuitatu ductorum; inter quos etsi
 frequentes solent esse contentiones & rixæ, tunc
 verò assiduis exhortationibus, concionibusq; no-
 strorum tanta pax floruit animorumq; concordia;
 vt ipsimet milites mirarentur. Tribus diebus in
 hebdomada vnus è Patrib⁹ ad illos verba faciebat;
 & diebus dominicis sacris sine consecratione per-
 actis omnes adesse solebant: quotidie sub vespe-
 rum B. Virg. letania, vel eiusdem, vt mos est, confa-
 lutatio in puppi concinebatur, quam pij cuiusdam
 facti narratio subsequēbatur. Neq; pueris & serui-
 tiis idoneum Christianæ doctrinæ pabulum diebus
 singulis deerat; quam multi etiam militum & nau-
 tarum libenter excipiebant. Legebantur præterea
 contēta voce interdium rerum sacrarum libri, vt hac
 ratione multi à ludis vel maledictis abstinerent. Er-
 go huiusmodi mediis multa mala in nauigiis perpe-
 trari solita, impedita, & maxima religionis operâ
 præstita: omnes enim qui aderant in nauigio, duci-
 bus illis exemplo præeuntibus (tempus enim erat
 Quadragesimæ) animorum sordes confessione di-
 luerunt.

luerunt. Neq; minor susceptus labor in vrbe Conceptionis; ad cuius portū feria 4. post Dominicam in Passione nauis appulit, erat enim vrbis Episcopus pene sacerdotibus destitutus, ipse tamen maxima cura exaudiendi confessiones, & concionandi muneri incūbens, atq; ita quindecim dies in eisdem officiis exercendis toto conatu posuimus, & vniuersa ciuitas libens ad nos confluxit, vt peccatis commissis facta confessione liberaretur. Quibus officiis gratum animum prabens, omnia ad victum necessaria nobis præstitit, & ad iter quod supererat copiosissimum com meatum. Non inane extitisse puto nostrorum in nauis laborem; sed fortasse multis militum occasionem fuisse semp̄ternæ gloriæ breui consequendæ: nam cum vniuersam cohortem Dux eius ad castra Gubernatoris deferret, vt sese cuncto exercitui, qui in hostium regione versabatur, adiūgeret, decimo die, quo illuc iter faciebat, in hostium insidias incidit, in angustijs viæ illius aduentum expectantium; tantoq; impetu aduersarii in nostros irruerunt, ad pugnam imparatos, vt viginti quatuor ex valentioribus, & dux inter illos strenuus atq; fortissimus interierit, nō sine magno illius regni dolore. Qui Dux (Antonius Villano) robustissimus quidem, maximarumque virum, ita vt, (quemadmodū ipse dicebat, & experimentis in nauis factis, verū id esse, credi facile potest) talenta sex Græca, & libras septuaginta quinq; quæ viginti septē Hispanis arrobis respōdent, simul & vno impetu dētibus manibusq; è terra in altum sustulisset. Hic, inquā, incredibili animi robore, inter ceteros, qui nauis quadam ad Philippicas Insulas vhebatur,

ausus

ausus fuit altera manu apprehenso rudēte, altera effigie depicta B. Ignatij delata, inter ingentes pelagi fluctus, nauisq; ad scopulos adhaerentis vehementē agitationem, ad ipsius vsq; proram accedere, atq; in eo foramine, quo rudens nimis attritus & penē contractus prodibat, sanctam imaginem alligare; unde factum est, ne rudens prorsus concideretur, totque homines deperirent: Idque singulare beneficium, nouo quodā, & inaudito miraculo per merita B. Ignatij obtentum, est iam Hispaniæ nouæ annualibus explicatum. Sed iam ad res huius Collegij venio. Sacerdos è nostris hoc anno cunctæ Philosophiæ exponendæ finem imposuit, quindecim externis auditoribus, qui penē omnes optimi euaserunt. Templum nostrum properè ædificatur, maxima enim liberalitate huius vrbis ciues ad hoc opus nobis eleemosynam tribuūt; sed totius Regni Gubernator cæteris hoc beneficentiæ genere præstat. Nostra etiā res familiaris in singulos dies maius habet augmentū; at animorū cura, & salus multo pluris à nobis, quam res familiaris habetur, ideo magis ac magis indies crescit. Hispanorum Sodalitiū (vt in alijs Collegijs retuli) vniuersæ reipublicæ clarissima bonorū operum præbet exempla. existimāt enim omnes, qui ad huius Sodalitij cætus frequēter accedunt, inde rerū suarum foelicem exitum depēdere, vt quidā ex ipsis diues satis animaduertit, qui cum his sacris cætibus, vt solebat, aliquandiu non adfuisset, & nulla, illis diebus, ex rebus, quas agebat, ex animi sententia cecidisset, suā desidiam illorū casuum fuisse causam animaduertens, mutata mente nunquam ab ijs cætibus abesse decreuit. Dissidia

etiam grauiſſima inter viros Principes à ſacerdote
 cōgregationis præſecto penitus extincta. Quædam
 ex Indis fœmina adhuc Ethnica, cum fidem no-
 ſtram diutius ſuſcipere renuiſſet, dicens ſe corpore
 & animo immortalẽ, cum tamen grauiſſima fe-
 brilaboraret; vltimo tandem ſacerdos noſter, cum
 aliis remedijs nihil proficeret, ad diuina confugit,
 initium ſacroſancti Euangelij ſecundum Ioannem
 recitans ægrotanti, illico mulier diuinitus mutata,
 in hæc verba prorupit, credo, inquit, abſque vlla du-
 bitatione, quidquid mihi de illo præpotenti Deo
 refers, etſi mihi antea penitus inauditum: chriſtiana
 fieri cupio, & mei animi ſempiternam ſalutem ve-
 hementer exopto: igitur accerſito Pærocho mulier
 illa ſacro baptiſmate abluitur, & tertio die iam mor-
 ti proxima eidem Patri, ſe maximè confidere, dixit,
 fore vt hanc miſeram vitam cum illa fœliciffima
 commutaret. Alia rursus Indica fœmina, quæ turpi
 amori viginti ſex annis procaciter inſeruiert, ac-
 culis conſcientiæ ſuæ grauiſſe preſſa, à primo ratio-
 nis vſu cuidam è noſtris omnia flagitia manifeſta-
 uit, neque his contenta, amatori deſipienti prudentiſ-
 ſimè perſuaſit, vt ſe ad meliorem frugem cōuer-
 teret; quo medio miles Hiſpan^o caſtam vitam inſti-
 tuit, & vterque dæmonis ſuggeſtionibus con-
 ſtantiffimè reſiſtit. Maximus Indorum amor in
 noſtros facit, vt in ſuis malis & morbis ad eos,
 tanquam ad parentes, confugiant; quapropter ob-
 teta ab Epifcopi Vicario facultate, vt ægrotis iã mo-
 rituris cœleſtis panis à noſtris ſacerdotibus præ-
 beatur, illi vt tantum donum de manu noſtra ſu-
 ſcipiant, ſe ad noſtrum templum deferri curant. In-
 dorum

dorum Sodalitas magis quotidie in consuetis pietatis officijs perseverat. Singularis erga B. P. nostrum Ignatium totius huius civitatis religio, etsi semper magna, nunc tamen in ipsorum animis maior existit rebus mirabilibus, quæ ab ipso parente nostro diuinitus perficiuntur. Pia etenim foemina à religiosis hominibus postulavit, vt sacrum facerent, quo diuinam benignitatem per merita sanctissimi Ignatij, infinitam multitudinem locustarum, vt ex suis fugaret agris, deprecarentur, simulq; in eodem agro crucem defixit huius B. Viri insignitam effigie, quo pietatis opere factum est, vt cum in vniuerso confinio maxima vis locustarum crudelem stragem efficeret, in eius prædijs nullum damnum reperiretur. Cuius exemplum alius vir imitatus, in agro suo, quem iam locusta vastabat, crucem in honorem B. Ignatij collocavit, atque ita locusta vim diuinam persentiens, inde penitus aufugit. Facta est hoc anno à nostro sacerdote quædam excursio per Hispanorum prædia, cuius aduentu tantam ad diuinum cultum in animo suo mutationem indigenæ persentiebant, vt illorum domini & ipsimet mirarentur.

O 5 COL

PROVINCIA
COLLEGIVM GVAMANGENSE.

Præter ea quæ superiori anno de huius Collegij erectione retulimus, pauca nunc sese offerunt præcipua, quæ dicam. Excolitur certè hæc noua domini vinea omnibus nostræ Societatis officijs, sic ut maximus ciuium in nostros amor exposcit. Itaque sublata ex illorum animis plurima & intestina discordia; quæ ante nostrum aduentum, ciuitatem maxime perturbabant. Hispanorum Sodalitium indies augetur, tum numero, tum virtute. Amor Indorum & gratitudo, quæ nostris ostendunt, eos vehementer inuitat, vt maxima diligentia illorum saluti consulant: Itaque non desistitur ab Indorum cultura concionibus, exhortationibus, exemplis, aliisque omnibus medijs, quibus desertos indigenas Societas adiuuare consuevit. Subuentum turpi mulierculæ iam penè collum in laqueum inferenti quod se contemptam à fœdo amatore censeret, scriptis exhortationibus ab utroque malo liberata est. Imagine quadam picta, qua sempiterna damnatorum supplicia spectantium oculis subiiciuntur, tanta est Indorum facta commotio, vt multi totius vitæ scelerum confessione purgant. Tandem Scholastici nostri, quorum numerus vehementer augetur, tum litteras, tum virtutes amore maximo complectuntur, atque ita omnes illas exercitationes, quæ in Societatis scholis fieri solent, summo illi studio prosequuntur. Omitto singula, quia sæpius repetita,

MANSIO IVLIENSIS.

TOta nostrorum cura in hac Sede ad excolendos
 Indorū animos ordinatur. quapropter illorum
 in virtute profectus eò magis indies crefcit, quò
 herbæ veneno infectæ plures euelluntur. Itaque
 veneficus quidam audita concione grauitèr suis
 flagitijs doluit, & collectis omnibus instrumentis,
 quibus antea feruierat dæmoni, se cum illis ad Pa-
 tris pedes abiecit, enixè postulans vt suo animo me-
 deretur, qui sapius esset dæmonem allocutus, non
 tamen in oppido, quòd pessimus deceptor se id no-
 strorum causa facere posse negaret. Alius miser ari-
 olus in suis veneficijs deprehensus, & in custodiam
 coniectus, nunquam potuit à sua prauitate conuer-
 ti, itaque post quatuor menses forsan adiutus à dæ-
 mone, liber è carcere fugit. Conantur nostri omni-
 bus modis hoc vitium ex hoc oppido radicitus tol-
 lere, quòd innumeris malis soleant cæteros affice-
 re decepti indigenæ, in quibus vitium huiusmodi
 altas radices egit. Erecta est hoc anno quædam So-
 dalitas in honorem Sanctissimi Eucharistiæ Sacra-
 menti, ad hunc maximè finem, vt cum cœlestis hic
 panis ad agrotos defertur, omnes qui possunt indi-
 genæ illum comitentur, quod hætenus dato signo
 factum, & tanta illorum frequentia, admixta lin-
 gulari pietate, vt sint ipsis Hispanis exemplo: semel
 singulis mensibus noua fit huius admirabilis Sacra-
 menti consecratio, incredibili vocum, instrumen-
 torumque concentu. Hoc anno primum ad spon-
 tanea verbera tēpore Aduentus, & Quadragesimæ
 indi

indigenæ inducti, multi in nostro templo bis in hebdomada se ligulis ceciderunt. Tandem solemnibus illa oblatio ad Bacchanalia tollenda celebrata per illustri ornatu suauissimoq, concentu, & ingenti Indorum multitudine, ita ut illo triduo præter plures Hispanos mille & quingentis indigenis confessione præmissa, cœlestis cibus fuerit impertitus. Neque cæteris oppidanis defuit debitus cultus & reuerentia, quandoquidem illis diebus nullus tantum vecors inuentus, qui ludis solitis, vel ebrietati vacaret.

EXPEDITIO TVCVMANA & Paraguaiensis.

Septem sacerdotes toto anno has latissimas Provincias diuisi illustrant, nisi cum statuto tempore ad Societatis meditationes obeundas, & res agendas communicandas in designatum locum conueniunt: Hoc anno Cordubam confluxerunt: ex quorum litteris, quos labores subierint, quosque fructus collegerint, intellexi. Sed leuibus & communibus prætermisissis, singularia solummodo, præcipuaque recensebo. A Patre Ferdinando Montroy, & Patre Iohanne Viana excursio facta ab Augusto Ianuarium vsque, in qua tanta sunt ubique charitate suscepti, ut cum fames valida terram occupasset, numquam tamē illis ad victum necessaria defuerint, imo vero tanta sæpius ciborum copia redundarint, ut cum multis egenis illos communicarent: & aliquando contigit, ut cum dimidium panis

panis, qui tantum domi supererat, pauperi tribue-
retur, paulò ante horam prandij tot panes à ciui-
bus mitterentur, vt & Patribus, & alijs multis ege-
nis ad victitandum sufficerent: quapropter verum
illud experiuntur dictū Apostoli, nihil habentes &
omnia possidentes. Sed vt hæc beneficia maio-
ribus officijs compensarent, omnibus nostræ So-
cietatis muneribus Hispanos, & indigenas adiuue-
runt. Scholasticus quidam decem & octo natus an-
nos concione nostrorum impulsus, vt suam consci-
entiam ab omnibus vitæ sordibus emūdaret, quod
cum præstitisset, & sacrum cibum sumpsisset, pau-
lò post inopinato morbo correptus, & cunctis sen-
sibus captus, intra horas duodecim vitam fini-
uit. In ea excursionem vnum & viginti castella,
& villæ decem & nouem à Patribus lustrata,
in illis mille amplius & quingenti generaleni
confessionem fecerunt. Segetes cuiusdam oppi-
di nimia siccitate deficiebant, cum summis pre-
cibus à nostris est impetratum, vt supplicatio so-
lemnis pro pluuiâ fieret à diuina benignitate ob-
tinenda; illa absoluta, tanta vis imbrium de cælo
decidit, vt segetes arefactæ denuo reuixerint,
& maxima frugum vbertas secuta sit. Neque il-
lud caruit prodigio, quod cum omnes à Patribus
admoniti, se frugum ariditate ab irato Deo
puniri, quod suis sceleribus minimè mederen-
tur, reliqui nostrorum hortatibus & monitis pa-
ruissent; duo tantum Iuvenes consilium Pa-
trum spreuerunt, sed non absque manifesto sup-
plicio, siquidem nec minima imbrium gutta in
illorum satis apparuit, cum reliquorum agri con-
fines

fines copiosis imbribus abundarent. Lustrata præterea Indorum Prouincia, qui propria lingua Lules dicuntur, hi cum triennio ante ab eisdem Patribus sacro fuissent baptismate mundati, nunc pecudum more viuentes, sacerdotum qui ipsos docerent penuria sunt referti, sed nostrorum conspectu maxima lætitia pleni, ad eos, sicut pulli ad matrem solent, properabant. Itaque denuo rebus nostræ fidei instituti, & suis criminibus confessione facta liberati, tandem, etsi maximo cum dolore, à nostris relictæ sunt, qui vt omnino delictorum hominum curam haberent, famem, sitim, æstus intolerabiles & ingentia ferarum discrimina perpeti, lucrum maximum reputarunt. Neque silebo factum satis quidem mirabile, si iam miraculo careat. Erexerant nostri sanctissimæ Crucis signum in quodam loco, vbi diuina sacra peragerent, sed cum illa in solitudine remansisset, temporis decursu, & ingentibus ventis agitata, ad terram inter alias arbores euulsas decidit. Hoc autem anno cum quidam Hispanus id solum aratri vellet profcindere, quod satis sibi pingue ad producendas segetes videretur, ignem in ligna coniecit, collapsam crucem minime animaduertens, & cum omnia ligna maximo illo incendio combusta & in cineres essent conuersa, solummodo (mirum dictu) crux illa sacrata flammis illæsa remansit, signo tantum fumi notata, vt prodigium illud clarius conspiceretur. Quædam Hispana femina in oppido Diu Jacobi iam quinque mensibus grauida, vehementi morbo cruciata, ad vltimum vitæ finem peruenerat, cuius vicem tamen

vir eius atque cognati grauiter dolerent, illos tamen grauissimè commouebat filij, quem gestabat in utero, interitus sempiternus; ergo accersiti nostri, vt tanto malo remedium aliquod adhiberent, facta cōsultatione, cognati matris vterū post mortem aperiendum esse censebant: at nostri efficacius remedium inspirante Deo reppererunt. Itaque sacram B. P. N. Ignatij effigiē cum quibusdam ipsius Reliquijs ægrotæ fœminæ dum imponunt, intra breuissimum tempus viuū fœtum in lucem edidit, & aqua salutari perfusum cœlestis Pater ad gloriam derulit, quem statim mater sequuta, piè creditur ad eundem locum transmigrasse. Tucumanus Pontifex ita nos amat, vt sæpe sapius palam confirmarit, si nostra Societas Prouincias illas desereret, illico se suo Pontificio munere abdicaturum. Vt Patres animos hominum ad pietatem compararent, pridie eius diei, quo sacri cineres Christianorum capitibus imponuntur, cœleste illud sacramentum, in quo CHRISTVS sanctissimus continetur, in ara maxima nostri templi manifestum omnibus posuerunt, à prima luce ad primas tenebras vsque inusitato populi totius concursu, Prouinciæ Pratore ad hoc religionis officium exemplo suo cæteris præeunte. Cumque sub vesperum eques quidam in equum conscendisset, vt sicut assolet, stadium curreret, ex equo in medio decidens cursu vehementissimè corpus offendit, adeo vt eius parentes eo se filio orbatos arbitrarentur: illum tamen ad se reuersum frater leuiter reprehendit, ipsum admonens, ideo tam infaustum euentum eius curriculum habuisse, quòd

quod Societatis solemne festum neglexisset. Hoc anno instaurata excursio Paraguaiensis, & ut optima iacerent fundamenta, duo illuc sacerdotes missi, qui ex Vrbe Assumptionis Regni præcipuâ, ad me scribunt, maximos se labores in itinere, terrarum fluminibusque tulisse, multarumque rerum, quas deferebant, fecisse iacturam, maximam tamen mentis lætitia, utpote qui vitam ipsam pro diuino Christi amore libèti animo profunderè sint parati, nedum libros, & suppellectilem: dicunt tamen eam bonorum amissionem optimè compensatam fortunatissimo longo itineri imposito finè, quandoquidem vniuersa ciuitas eorum aduentum appropinquare cognoscens, sese tota ad illos inuisendum & comitandum effudit, tanta animi alacritate, ut nō solum lætari, sed gestire & exultare cuncti viderentur, quo tempore alij alijs congratulari, quasi aliquod incredibile bonum vel munus excellentissimum singuli obtinuissent: igitur illorum concionas exaudita mira Hispanorum & indigenarum frequentia, in templo maximo rogatu Decani Presbyteri ad cunctum populum habitæ:

EXPEDITIO AB SANCTA

Cruce.

ET si nostri in hac missione summa rerum externarum inopia premantur, & innumeris viciisque periculis circumueniantur, incredilibus tamen de cœlo gaudijs abundant, quibus omnes ærummas minimi faciunt. Eorum quæ ab ipsis hoc anno sunt gesta, hæc digna, quæ referantur, In Vrbe S. Laurentij

rentij studia latinitatis instituta, quæ diu iam illius
 ciues exoptarant. Iudicatum enim remedium inter
 omnia efficax valde, vt deprauati ciuium mores
 corrigantur, qui quasi hereditario iure à patribus in
 filios dimanabant, & præterea iuuenes nimium tor-
 pentes otio ad omnia vitiorū genera facillimè labe-
 bantur, itaque tantum Deus huic recenti muneri
 fauet, vt aperte demonstret è cælo cogitationem
 huiusmodi in animum Patris Viceprouincialis in-
 iectam ad summum bonum illius desperatæ iuuen-
 tis. Quod iam paruo tempore in illorum mentibus
 inesse conijcitur, ac deinceps infessurum esse spe-
 ramus. Viginti namque & sex Scholastici qui in
 nostris Scholis versantur, totidem Angeli in terris
 degentes, modestia vultus, pietate animi, vitiorum
 odio, & omni denique genere virtutis esse videtur,
 in ipsisque litteris iam mediocres progressus faci-
 unt. Attamen præcipua cura & labor in indigenis
 Christiana fide erudiendis à nostris adhibetur, vt ex
 litteris Patris Anentiq; Oliuæ, quæ illuc biennio ante
 misimus, facile conspici licet, ait enim se missū cū P.
 Angelo Monitola ad nationes Chanonū et Gogoto-
 corū (quidiuersa ab illis vtūtur lingua) & sex oppidis
 cōfessiones audiuisse, ait præterea, maxima difficul-
 tate persuasū ægrotis iā morituris, vt sua delicta sa-
 cerdoti patefacerent, quod falso errore decepti sta-
 tim se morituros arbitrarētur. Sed tamē negotiū ita
 arduum diuino iuuante spiritu perfectum, & pessimo
 dæmone superato, sacræ confessionis veritatem
 iam indigenis innotescere, tantoque desiderio hoc
 illos expetere sacramentum, vt à primo diluculo ad
 multam noctem vsque, hoc vnicum suæ salutis re-
 P medium

medium magno silentio, animique dolore expectantes persisterent, ut nostris sacerdotibus non nisi ad festinum prandium locus relinqueretur, tum confessione facta ita praeteritam viuendi consuetudinem emendare, ut satis appareat non illos simulate de commissis peccatis doluisse. Haec rursus memoria digna. Habebat ruri in paupere quodam tugurio puella virgo, non dum decimum quartum annum egressa, cum duabus sibi cognatis foeminis; cum repente indigna iuuenis igne turpissimo flagrans, honestas illas aggressus foeminas, ad turpe factum pellicere conabatur. Sed cum nihil blanditijs proficeret, coelibidinis impetu vim imbecillibus adhibebat, at virgo tenella non ferens improbum facinus, viri vestita robore, hominem primum grauitur verbis obiurgat, deinde cum in illam insanum ipse furor conuerteret, maximo castitatis amore virgo succensa ardentem de foco torrem arripiens, in impudicum impetum facit, & illum eicit de tugurio: quapropter ipse nimio pudore suffusus, re infecta tristis abscessit. Ut simile discrimen effugeret alia eiusdem aetatis & conditionis puella, quam Hispanus quidam turpiter diligebat, artificio mirabili foedum amatorem delusit. Nam cum agri culturam, ubi Hispanus ille degebat, minime posset relinquere; ne tamen agnosceretur, pectus, brachium, ipsamque faciem atro colore foedauit, ut indecora nimis atque deformis humanis oculis appareret. Quo remedio etsi saepius ab Hispano quaesita, nunquam tamen inuenta est. Anus quaedam decrepita morbo quo laborabat ingrauescente, frigida membra igne calefaciebat, atque in ipso cinere misere cubitabat, sed cum in tanto discrimine versaretur, nihil minus quam de confessione cogitabat. At Patet

Annellus pietate cōmot^o ad pœnitentiã aniculã exhortatus, tandẽ ipsa illi^o precib. annuit, & paulo post è corporis vinculis eius anima euolauit. Ab Oppido sanctæ Crucis septentrionem versus vrbs 50 leucas abest, solũ habet satis accōmodatũ, optimæ tẽperatōnis, & aquis puris abundat, & suauib. Cũ illa primũ condita fuit 14. abhinc annis, crudele bellũ indigenæ nostris hominib. intulerunt, & venenatis sagittis Hispanorũ multi traiecti quasi rabidi canes interierunt, atq; ita grauissima dāna ab Indis nimium elatis superbia, tũc tẽporis sunt perpessi, at postquã pestilentũ herbarũ antidotum est repertũ, Indi mitiores effecti Hispanis sese submitunt, quod maxime iuuat Pater Ortisius, qui cũ indigenis sit charissimus, & illorũ animos Christianis morib. imbuat ipsa religiosa pietas homines feros, & barbaros efficit māsuetiores. Itaq; iã Hispani trãquilla pace fruuntur. Hic Pater Ortisius incredibiles in itinere passus labores, cũ urbẽ D. Frãncisci peteret, q. necesse fuerit maximis viarũ anfractib. illuc tendere ppter ingentes Guapai fluminis alluiones; dum eò peruenit, vehemẽter de via fessum grauissimus morb. corripuit, qui tres integros menses Ortisũ crudeliter vexauit: Sed indefessa animi virtus illi sic ægrostanti animos addidit, vt in ipso lectulo iacens tot sepi^o pro salute proximorũ labores, ac si sanus esset, susciperet; Attamen vt Ortisius iã tandẽ aliquantulũ cōquiesceret, ab vrbe S. Laurẽtij Pater Angelus illuc missus, qui eius pondus grauissimũ sustineret, & ad D. Laurentij ipsum remitteret: ille vero vbiq; ardẽs in proximos charitate, diuini verbi semen effudit, & segetẽ illã copiosam, & si pene sol^o excoluit, semper immensã deprecās bonitatẽ, vt mittat operarios in messẽ suam.

P 2 A Col.

A Collegio Quitensi Viceprouinciæ noui regni,
nihil quod in annales referatur accepimus.

SEDES PANAMENSIS.

Vir quidam maximo timore sollicitus, ne vi
morbi perimeretur, vnum è nostris accersit, &
pro iniurijs illatis Deo confessione satisfecit, tum
vero Pater homini persuasit, vt ad cœtus accederet
sodalitij, si per B. P. Ignatij subscriptionem opta-
tam salutem consequeretur: cōsensit agrotus mo-
nitis, & imposita subscriptione melius statim va-
lere cœpit. Eadem B. P. subscriptione quidam è no-
stris Fratribus præmunitus molestissimam tertia-
nam febrim, qua vexabatur, effugit. Nos comitia
publicasque custodias nostri frequenter in-
uisunt, & innumeram vim Æthiopum penitus de-
sertorum fidei principijs & Christianis moribus
imbuunt. Hoc anno illorum sodalitas domi nostræ
iam pridem erecta diem sacræ Præsentationis Ma-
riæ solemnem publicam à templo maximo ad nostrum
vsque supplicatione celebravit, iustisq; sacris pera-
ctis, illorum plures cœlesti accubuerunt cōuiuio. Ex-
cursio a nostro sacerdote facta, multa animorum
emolumenta reportauit. Persuasum cuidam ne ini-
mico vitam eriperet, quod diu iam peroptabat, multi-
a cœno turpi luxuriæ ad honestatem extracti, & hu-
iusmodi multa spolia è dæmonum castris erepta.
Duodecimo kalendas Februarij ara quædam in no-
stro templo statuta imagini B. P. Ignatij, maximo
totius ciuitatis erga illum studio, amore, & pietate
factum hoc præclarissimum non tantum appro-
bante ciuitatis Antistite, sed etiam publicis illud lit-
teris, &

teris, & verbis honorificentissimis decernente. Solemnibus illius diei sacris, quæ custos cœnobij D. Francisci celebrauit, vniuersa curia regia & ciuitas frequens interfuit. Atque vt maior existeret in B. Ignatium huius prouinciæ pietas, & religio, mirabili quadam ratione quendam è nostris Fratribus in vrbe Portusbelli febris grauissima laborantē ad integram restituit sanitatem. Iacebat ille in Noscōmij publici lectulo iam desperata salute morti propinquus, & summo præterea mœrore confectus, quòd in illa extrema pugna, quæ vndique solet esse grauissima, nullum haberet è Societate, cuius precibus, & auxilio in dæmonem victor euaderet. Igitur in illo postremo vitæ discrimine conuertens oculos mentis ad parentem nostrum sanctissimum, vt sibi salutem redderet postulauit: illico voce clarissima egrotantis aures insonuerunt, nihil, aiunt, timeas, surge, salutem enim optatam consequeris. Hac voce promissioneque confirmatus acutè & fortiter exclamauit, cui statim vnus è Fratribus B. Ioannis Dei accurrens, cibos optime conditos detulit, quos, cum triduo iam nihil quòd posset ali cepisset, tum bono animo edit, paucisque post diebus ex desperato morbo conualuit, non sine maxima omnium admiratione, qui diuinitus illum a B. suo parente sanatum prædicabant. Missus sacerdos è nostris senatu regio petente, ad Indos Ethnicos adhuc, cum tamen triginta annos Hispanis inseruierint; illuc anno præterito quidam senator accessit, vt rusticos homines montibus ac syluis ferarum more vagantes in cœtus populares con-

iungeret , quod adhuc donec perficiat constanti mente persequitur, cum inde incredibilis animorū utilitas expectetur , & indidē ianua pateat ad plures alias nationes ad fidem Catholicam conuertendas, quæ diuina orbatæ notitia in interitum sempiternum miserè detruduntur, atq; de hac Sede satis.

STATIO SANCTÆ FIDEI
noui Regni.

IN hac vrbe nostrarum ædium habitatio satis idonea est, vt viginti è nostris in illa degant, optimo loco sunt sitæ, & minimo à foro maximo spatio, octoque millibus aureorum Societati constant, quos maxima ex parte liberalitas ciuium suppeditauit. Tantus est illorum erga nos amor, quibus tamen maximo studio de nobis bene merendi Illustrissimus Ioannes Borgia, Beati Patris Francisci nepos, Senatus præses, & illius prouinciæ prætor excellit, qui in singulos annos quingentis aureis nostram subleuat egestatem: ipse vero præses Reuerendissimus Archiepiscopus, alijque pij homines, aureos amplius sexcentos donarunt, quibus subsidijs, & mediocri copia annonæ, quæ tempore messis stipendiis corrogata colligitur, abunde satis est ad quotidianum victum, quin cura ad vitam necessaria querendi Societatis impediatur ministeria ad proximos adiuuandos. Tanta viri principes experiuntur ex muneribus nostris emolumenta, vt Archiepiscopus, senatus regis eiusque visitator vno animo à Rege Philippo enixè petierint, triginta illuc è nostris mittat, qui barbariem, inscitiam, idolorumque cultum penitus insitum ex multarum nationum animis stirp-

tus euellant; sicut ipsam ciuitatem regni totius caput nostri qui illam incolunt, auspice Deo, ab improbissima in optimam conuerterunt; per illos enim multæ conuentiones illicitæ sublata; adulteria multa, odia atq; dissidia innumera penitus sublata. Erectum etiam Monialium cœnobium Patris Didaci Viceprouincialis monitis & hortatu, ex quo ingens bonum speratur; ab eodemq; donec aliud præpositis maioribus videretur, cuiusdam Indorum Oppidi, Caxica nuncupati, cura à nostris habenda, sicut fit in Iulienfi sede, suscepta, cuius indigenæ ipsi Regi vectigal pendunt, eiusq; templum præclarum fatis, & optimis ad diuinum cultum vestibus exornatum. Itaq; locus ille maxime videtur idoneus, vt nostri difficillimam linguam Muscam addiscant, quam aliqui post laborem quatuordecim mēsiū, multis superatis difficultatibus, ita tenent, vt summa fidei capita magna verborum proprietate in eam linguam transfulerint, quæ translatio, ab Archiepiscopo, & Præside, facto examine, comprobata; decreto quodam publico omnibus Parochis imperatum, vt illa indigenis explicetur, quam ipsi facillimè discunt, & ex Christianæ religionis notitia magnam in illorum animis morum mutationem in dies singulos experimur: nam cum antea pauci vellent vxorem secundum ritum Ecclesiæ ducere, quod ex corruptela naturæ multis implicarentur pellicibus, id iam est illis facillimum, ita vt paucis diebus ducenti amplius

fuerint matrimonij vinculo
ritè consociati.

IN eadem vrbe administratio seminarij collegij, (cui a D. Bartholomæo nomen est) à nostris suscepta. Aedes habet optimas ciuitatis, ab Archiepiscopo ad hoc egregiū opus coemptas: in illis octo & quadraginta Collegæ resident, ex quibus octo, qui ad seminarium Ecclesiæ spectant, suis sumptibus Antistes alit, pro singulis centum aureis persolutis, hi focalibus vtuntur pulli aut liuidi coloris, & templo maximo temporibus assignatis deseruiunt, ceteri sunt conuictores, & expensis proprijs aluntur, quibus focalia pendent è collo rubea siue coccinea, vt à primis distinguantur. Omnibus præest vnus sacerdos è nostris adiutore Fratre sociatus, qui tāta diligentia hanc iuuentutem litteris & virtutibus educat, vt multi doctrina, & pietate præditi in locum hominum ignorantium possint ecclesijs sufficere.

MANSIO CARTHAGINIENSIS.

HAc noua apud Indos Carthagine concepta, de nostris hominibus & muneribus præclara opinio indies magis apud omnes ciues crescit, nec mirum, cū nostri totum suum laborem impendant in hominibus omnis generis & colendis, quorum vberissima messis alios plures operarios exposcebat, siquidem ciuium amplius tria millia, Æthiopum septies mille, plusquam octingenti nauarum, & milium fere trecenti, diuini verbi pabulo reficiuntur. Quibus accedunt classes Hispanicæ, quæ singulis annis hunc portum tenentes, ingentem vim ægrotantium secum apportant, quibus remedijs celestibus

lestibus à nostris statim occurritur. His pietatis officijs gratissimos se ciues præbent, ciuitatesque confines ardenti tenentur desiderio, tanto bono perfruendi, vt Mesochorus Cathedralis Ecclesiæ insulæ Hispanæ huius sedis superiori literis suis ostendit, illum enixè deprecans, vt aliquos eò mittat à Societate: quod nemo sit qui insulæ illius habitatores in vitiorum cœno demersos, inde velit extrahere. In hac igitur vrbe maxima concurrit ad nostrum templum hominum multitudo, vt peccata confiteatur, & sacras audiat conciones, ex quibus maximus colligitur fructus.

Æthiopum sodalitas maximè iuuat, vt huiusmodi cœteri de rebus fidei, & morum emendatione doceantur. Hæc nostrorum opera ciues magna liberalitate compensant: siquidem anno ac sex mensibus amplius aureorum quatuordecim millia nostri ab illis acceperunt. Templum etiam pulcherrimo tabernaculo, & argentea deaurata pyxide ad sacrâ Eucharistiam asseruandam amplificatum, sanctissimique pueri IESV pulcherrima statua decoratû. Milli ab hac sede ad oppidum sanctæ Martæ, triginta illinc leucarû interuallo disiunctum, à ciuibusque magnæ lætitiæ signis excepti: statimque tota commota ciuitas, vt peccata confessione lauaret, multa sublata dissidia inter viros Principes, ex quibus mala grauissima timebantur. Sed tamè indigenis propter linguæ ipsorû inscitiam minime consultû, qui pene omnes huius prouinciæ hac de causâ Ethnici remanent, nec solum ipsi, sed triginta Ethnicorum millia ab hoc oppido ad sanctissimæ Triados vsq; eos qui se de fidei veritatibus doceât, vehemèter expo-

scunt. Excursum denique à Patre Viceprovinciali
 & Patre Illesonso Sandoual ab hac vrbe in Ethni-
 corum prouinciam, Vraba dictam, ex Episcopi
 & Gubernatoris sententia; Cacicij enim præcipui
 suæ gentis legati Carthaginem venerant, sacerdo-
 tes, qui se Christiana doctrina imbuerent, postularunt
 Octo diebus aduerso scaphæ cursu renitentibus ve-
 tis illuc peruentum, vbi nonnullis ægrotis infantibus
 baptisate sacro ablutis, & aliquibus Indorum de
 fidei rebus instructis, Lauretanæq; Virginis structo
 sacello, in vrbem, vnde Patres exierant, reuerterunt,
 aliqua gentis huius accepta notitia. Terram enim
 incolit syluis, nemoribus, fluminibus, præruptis
 montibus, & conuallibus cœno infectis profundis-
 sime plenam; sterilem deinde nimis & calidam; nul-
 lis argenti vel auri venis copiosam; radicibus arborum
 & illorum exiguis fructibus, syluestriq; carne barbari
 vescuntur, & quindecim oppidis in collium altitudi-
 ne sitis habitant; quibus aliæ quinque Prouinciæ sunt
 conterminæ, eadem lingua, vt apparet, ad discendum
 facili. Idolorum cultu carent, præterquam quibusdam
 qui ægrotis medentur, cum Dæmone colloquuntur,
 sua quilibet vxore contentus viuit, viri omnino
 nudi, & vnguento rubeo oblitum incedunt, de super-
 varijs depicti coloribus; fœminæ honesto habitu im-
 dutæ, tantum id curant, vt suis viris inseruiant; illi
 verò otio desidiosissimo diffluunt; iter tamen fa-
 cturi, arcu & sagittis veneno infectis instruuntur, el-
 gunt ex ipsis concionatores, qui voce con-
 tenta absque vlla actione lo-
 quuntur.